

tripliciter distinguuntur, in fortissima, valida & benigna. Perinde in chymia quoque convenit, solventia corrosiva in tria ejusmodi genera dispesci. Ad primam classem referimus aquas fortes, regias, Spiritum nitri, aliosque liquores præditos, vi erodente ignea, & humanæ naturæ infecta.

Secundi generis sunt spiritus vitrioli, Salis, sulphuris, aceti radicati, atque alii, qui quidem facultatem corrodingi minimè debilem possident, interim tamen naturæ nostræ non ita adversantur.

In tertio verò & benignorum ordine, collocamus, spiritum aceti simplicem, mellis, aquam Quercus, succum limpidissimum citriorum arantiorum, limonum &c. Nos primi generis corrosiva, quin etiam secundi, à solutione nostrâ penitus amandamus. Et solo benigno liquore corrosivo rem conficimus, qui acrimonia sua, ipsum acetum distillatum minimè excedat, Acetum autem ipsum certa quoque sua corrosivitate minimè destitui experientia docet. Quandoquidem illud ipsum corrodingo, non tantum corallia, perlas, conchas, verum etiam corpora metallica, chalybem, plumbum, stannum, cuprum in liquores resolvere valeat.

Quod si jam quis distinctione nostrâ, susque deque habita, omnia in universum corrosiva, promiscuè proscribere præsumat, is etiam atque etiam videat, ne ipsum unâ acetum, aliosque succos, naturæ nostræ familiarissimos exulare pariter jubeat.

Secundum problema bimembre est, primò e-

B nim